



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam  
emissæ. In Deuteronomium**

**Bugenhagen, Johannes**

**Basileae**

**VD16 B 9247**

Capvt XXIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36133**

cusit octingentos una uice. Reliqua uide in translaticione D. Martini, Tres primi non habent similes, Post quos sunt tres alij, quibus non est aliquis similis inter triginta fortes, ut hi posteriores sint tribus primis, sed tamē præcedant triginta alios, atq; inter hos tres præcipuus est Abisai, ut & in Paralip. uides. Præterea Banaias à secretis Dauidis honoratissimus inter sequentes, ut quidem magnæ uirtutis, sed nequaquam similis tribus primis. Triginta uero dicuntur à numero maiori, nam quod superest parum non computatur, ut quãdoq; in scripturis uidere licet. Noluit] Condemnauit Dauid desiderium suum & uoluptatē periculo uitæ aliorū emptam, Effudit eam domino, qui uiros seruauerat &c.

## CAPVT XXIIII.

**N**ihil tutum non seruante deo, Securitatē carnis, scriptura ubiq; damnat, dū non timetur deus. Quia uero Israëlita tam sæpe impie egerant sub Saule, sub Absalone, neq; peccata agnoscebant, agētes sine timore, coguntur tandem uel percussi agnoscere iniquitatem. Atq; ut hoc faciat deus, deserit bonum Dauidem & eū agit spiritu malo, ut grauius peccet, unde populus pereat, grauius peccasse, grauis ira dei testatur, ut non mireris si per impios principes mala effundat domi-

nus super populum dei contemptorē & Euangelij sacri negligentem, cū ista etiā per optimū faciat regem, Semper ergo orandus est deus, ne nos deserat, & carnis securitate pereamus. Regnū hoc Dauidis. i. Christi in terris, non solū à carne & sanguine impetitur, sed etiam à Satana & peccatis ad desperationē urgetur, mors & inferi absorbere nituntur, etiamē glorificatur etiā inuitis portis inferorū. Hoc tantū tibi declaratur, ne unq̄ securitatē speres in carne aut secundū carnem. Videāt hoc exemplū Euāgelij prædicatores, per quos regnū Dauidis auget Christus, Sunt enim quidā ex eis qui, ut Dauid, multa persecutione & odio aliorum auxerūt per Euangelium populū deo, at ubi uidēt numerū creuisse incipiūt sibi inde placere & gloriam secundū carnē quærere, Vnde deserit eos deus, ut quædam temere agant, unde multi cadāt per infidelitatē, ut isti ceciderūt per pestem. Gloriā Dauid in numero querebat hominū, & numerus iste peste imminutus est. Præter cætera aut habes hic exemplū iudicij & misericordie dei. iudicij, Non enim tam Dauid quàm populus hic impetebatur. Misericordie, nā parcitur Hierusalē, & plaga in populo cessat, atq; Dauidi ignoscitur. Vt interim taceam, q̄ etiam plaga misericordia est illis qui inde resipiscunt.

Addit. Id est, rursus uoluit irasci populo, iam iratus fuerat dato rege Saule, exaltato Absolone, missa

trium annorum fame &c.

Dixit Ioab. Recte sentit Ioab istam Dauidis ambitionem damno futuram, & deo displicituram, sed tamen impie cum cæteris, licet contra conscientiam, mandatum regis exequitur, Non debebat hic facere quod non probabat, Hic omnes principes propter Dædem peccato se obnoxios faciunt.

Numerum.] Maior numerus est in Paralip. Sed quæstio soluitur per hoc q̄ hic dicitur, hunc numerum tradidisse Ioabum Dauidi, ut hic numerus traditus Dauidi, illic plenus numerus scribatur, quia, ut illic dicitur, Ioab inuitus ista fecit, ergo fieri potuit ut integrum numerum non retulerit.

Percussit.] Id est, conscientiam cœpit habere peccati.

Trium.] Quodcumq; elegisset, periculum fuit pereundi Israëlitis. Tamen iam dudum expertus quàm sine misericordia sint homines, quàm non parcat Saul etiam impietatem agnoscens, quàm crudelis sit etiam filius Absolon, committit se potius flagello manus dei, quem non dubitat esse patrē.

Constitutum.] Id est, usq; in tertium diem, secundum uerba Prophetæ. Septuaginta milia.

Vides numerum imminutum, in quo Dauid uolebat gloriari, sed misericordia dei effecit, ut hic potius inueniret crucem & horrendos inferos quàm gloriam, ne in peccato periret. Ita necesse est quandoque

ad mortē & inferos detrudi, ne mors & inferi in nos habeant potestatem. Deus enim est qui deducit ad inferos & reducit. Angelus] iste percussor est & executor sententię dei, quemadmodum & angelus qui percussit primogenita in Aegypto, Significa t autē legis prædicatorem, quo prædicante quidā pereunt desperatione, quidam coguntur ad misericordiam dei inuocandam, atq; his parcitur, ad Euangelium enim pertinent, quibus non tam angelus quàm Euangelista mittitur, si non homo tamen spiritus dei &c.

Misertus. Vides factum quod Dauid sperauerat, quemadmodum propheta alius dixit. Cum iratus fueris misericordię recordaberis. Et Esaias, Cōuersus est furor tuus & consolatus es me,

Ego sum] Dolebat oues pro se occidi, quando ipse pastor peccauerat. Nō ita agitur apud nostros principes. Hęc charitas in populum indicat quid fidei habuerit Dauid, & præterea nemo per naturam se committit iudicio dei etiam in mortem, ut hic Dauid.

Gad] Hoc est iam post legem Euangelium, quod subobscure primum nunciatur, non quia obscurū est, sed conscientię territę & adflictę tantam gratiã sperare nō possunt, Nō ergo manifeste dicit propheta cessasse dei iram, sed signū prædicat, unde beneuolentia dei erga Dauidē & populū agnoscatur, Constitue, inquit, altare in area Aranena Iebusei, Huc pertinet &

Dauid statim spū pphético illustratus, dixit in eo loco futurū tēplū & altare holocaustorū in Israël. secundū legē Deut. 12. qui locus hactenus non erat reuelatus, sacrificantibus interim filijs Israël in diuersis locis, ut diximus in primo libro. Vide hæc in Paralip. Præterea, ut alibi diximus, sicut è gentiū bonis & manibus constructur tēplū, ita & in loco à gentili empto, licet pro selyto, ut scias q̄ ecclesiam Christianā, ut diximus, illud templū significarit, ecclesiam, inquam, à Christo ædificandam secundum prophetiam supra ca. 7.

**Non offeram.** Odio enim habet deus rapinam in holocaustum, quemadmodum nostri qui fingunt longas orationes, ut comedant domos uiduarum, imò etiam regum. Si uis offerre offer de tuo, da de tuo, non accipe ab alijs quo beneficias &c.

Emit &c.] Sic putant distinguendum, Vt aream emptam legas, sed non expressum sit hic quo precio, quod in Paralip. scribitur, sexcenti sicli auri iusti ponderis, & post legas bouem (ut est in Heb.) cum curru & alijs ad ignem necessarijs emptum quinquaginta siclis argenti, ut hic dicitur.

Habes itaq; his duobus libris, qua occasione Iudæorum cœperit regnū, & q̄ uerū regnū sit confirmatum Dauidi & semini eius in æternū, in Christo Iesu domino nostro, Amen.

Finis Samuelis Prophetæ.

Z 5